

acceperit aliquam dilationem propter instrumenta, an successori quoque eius dari debeat: an vero, quia jam data est, amplius dari non possit? et magis est, ut et hic, causa cognita dari debeat.

8. PAULUS, lib. 15, ad Sabinum.

More romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur: itaque quicquid in his vigintiquatuor horis (id est duabus dimidiatis noctibus, et luce media) actum est, perinde est, quasi quavis hora lucis actum esset.

9. ULPIANUS, lib. 7, de officio Proconsulis.

Divus Trajanus Minicio Natali rescripsit, ferias a forensibus tantum negotiis dare vacationem: ea autem, quae ad discipulam militarem pertinent, etiam feriatis diebus peragenda: inter quae custodiarum quoque cognitionem esse.

10. PAULUS, lib. 5 Sententiarum.

In pecuniariis causis omnis dilatio singulis causis plus semel tribui non potest; in capitalibus autem reo tres dilationes, accusatori duae dari possunt: sed utrumque, causa cognita.

TIT. XIII.

DE EDENDO.

1. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Qua quisque actione agere volet, eam edere debet: nam aequissimum videtur, eum, qui acturus est, edere actionem, ut proinde sciat reus, utrum cedere, an contendere ultra debeat: et si contendendum putat, veniat instructus ad agendum, cognita actione qua conveniatur.

§ 1. Edere est [etiam] copiam describendi facere, vel in libello complecti, et dare, vel dicere. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat adversarium suum ad album, et demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo uti velit. § 2. Editiones sine die et consule fieri debent, ne quid excogitentur die, et consule, et praetor die fiat. Diem autem et consulem excepit praetor, quo instrumentum conscriptum est, non in quem solutio concepta est: nam dies solutionis, sicuti summa, pars est stipulationis. Rationes tamen cum die et consule edi debent: quoniam accepta, et data, non alias possunt apparere, nisi dies et consul fuerit editus. § 3. Edenda sunt omnia, quae quis apud iudicem editurus est: non tamen ut et instrumenta, quibus quis usus non est, compellatur edere. § 4. Edere non videtur, qui stipulationem totam, non edit. § 5. Eis qui ob etatem, vel rusticitatem, vel ob sexum lapsi non ediderunt, vel ex alia justa causa, subveniatur.

2. PAULUS, lib. 5, ad Edictum.

Si legatum petatur, non jubet praetor verba testamenti edere: ideo fortasse, quia heredes solent habere exemplum testamenti.

3. MAURICIANUS, lib. 2, de Poenis.

Senatus censuit, Ne quisquam eorum, a quibus quid fisco petatur, alia instrumenta delatori cogatur edere, quam quae ad eam causam pertinent, ex qua se deferre professus esset.

4. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Praetor ait: Argentariae mensae exercitores rationem, quae ad se pervinet, edant adjecto die, et consule.

§ 1. Hujus edicti ratio aequissima est: nam cum singulorum rationes argentarii conficiant, aequum fuit, id quod met causa confecit, eum quodammodo instrumentum mihi edi. § 2. Sed et filiusfamilias continetur his verbis, ut vel ipse cogatur edere. An et pater, queritur. Labeo scribit patrem non cogendum, nisi sciente eo argentaria exerceret; sed recte Sabinus respondit, tunc id admittendum, cum patri quaestum referat. § 3. Sed si servus argentariam faciat (potest enim): si quidem voluntate domini fecerit, compellendum dominum edere, ac perinde in eum dandum est iudicium, ac si ipse fecisset: sed si in seculo domino [fecit], satis esse dominum jurare, eas se rationes non habere. Si servus peculiarem faciat argentariam, dominus de peculio, vel de in rem verso tenetur: sed si dominus habet rationes, nec edit: in solidum tenetur. § 4. Etiam is qui desit argentariam facere, ad editionem compellitur. § 5. Sed ibi quis compellitur edere, ubi argen-

20. Adde L. 99, § ult. infr. de verb. sign. — 21. Adde L. 10, C. h. t. — 22. L. 1, in fin. C. de dilat. — Tit. XIII. — 1. Lib. 2, C. 1. — 2. L. 6, § 7; L. 10, § 1, infr. h. t.; L. 89, § fin. infr. de verb. sign. — 3. L. 2, § 6, infr. de testam. quemadmodum aper. — 4. L. 28, infr. ad leg. Corn. de fals. — 5. L. 10, § 1, infr. h. t. — 6. L. 6, § 3, infr. h. t. — 7. L. 2, § 2, infr. de iure fisci. — 8. L. 6, § 3, infr. h. t. — 9. L. 6, § 3, L. 10, infr. h. t.; L. 89, § fin. infr. de verb. sign. — 10. L. 175, in pr. infr. de reg. jur. — 11. L. 19, § 2, infr. de iudicis. — 12. L. 17, § 1, var. interdu. infr. ad exhibend. — 13. L. 6, in pr. infr. h. t. — 14. L. 45, in pr. infr. de iudicis.

tariam exercuit: et hoc est constitutum. Quod si instrumentum argentariae in alia provincia habeat, in alia administraverit: ibi puto cogendum edere, ubi argentariam exercuit: hoc enim primum deliquit, quod alio instrumentum transtulit. Quod si in alio loco argentariam exercet, alibi autem ad editionem compellitur: minime hoc facere cogitur, nisi descriptum velis, ubi de ea re agitur, eum tibi dare, tuis videlicet sumptibus.

5. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Spatiumque ad perferendas eas tribuendum est.

6. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Si quis ex argentariis (ut plerique eorum) in villa habeat instrumentum, vel in horreo: aut ad locum te perducet, aut descriptas rationes dabit. § 1. Cogitur et successores argentarii edere rationes. Quod si plures sunt heredes, et unus habeat, solus ad editionem compellitur: sed si omnes habeant, et unus ediderit, omnes ad editionem compellendi sunt. Quid enim, si humilis et deploratus unus edidit, ut dubitare quis merito de fide editionis possit? Ut igitur comparari rationes possint, etiam ceteri edere debent, aut certe unus editioni subscribere. [Hoc] idem erit, et si plures fuerint argentarii, a quibus editio desideratur. Nam et si plures tutores tutelam administraverunt, simul: aut omnes edere debent, aut unus editioni subscribere. § 2. Exigitur autem ab adversario argentarii iurandum, Non calumnie causa postulare edi sibi: ne forte vel supervacuas rationes, vel quas habet, edi sibi postulet, vexandi argentarii causa. § 3. Rationem autem esse Labeo ait, ultra citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, solvendi sui causa negotiationem: nec ullam rationem nuda duntaxat solutione debiti incipere: nec si pignus acceperit, aut mandatum, compellendum edere: hoc enim extra rationem esse. Sed et quod solvi constituit, argentarius edere debet: nam et hoc ex argentaria venit. § 4. Ex hoc edicto in id, quod interfuit, actio competit. § 5. Unde apparet, ita demum tenere hoc edictum, si ad eum pertineat. Pertinere autem videtur ad me ratio, si modo eam tractaveris me mandante: sed si procurator meus absente me mandaverit, an mihi edenda sit, quasi ad me pertineat? et magis est, ut edatur. Procuratori quoque meo edendam rationem, quam mecum habet, non dubito, quasi ad eum pertineat: et cauturum de ratio, si mandatum ei non sit. § 6. Si initium tabularum habet diem, in quibus Titii ratio scripta est, postmodum mea sine die, et consule; etiam mihi edendus est dies, et consul: communis enim omnis rationis est praepositio diei, et consulis. § 7. Edi autem est, vel dicere, vel tradere libellum, vel codicem proferre. § 8. Praetor ait: Argentario, eive, qui iterum edi postulabit, causa cognita edi iubebo. § 9. Prohibet argentario edi, illa ratione, quod etiam ipse instructus esse potest instrumento suae professionis: et absurdum est, cum ipse in ea sit causa, ut edere debeat, ipsam petere, ut edatur ei. An nec heredi argentarii edi ratio debeat, videndum. Et, siquidem instrumentum argentariae ad eum pervenit, non debet ei edi: si minus, edenda est ex causa: nam et ipsi argentario ex causa [ratio] edenda est: si naufragio, vel ruina, vel incendio, vel alio simili casu rationes perdidisse probet, aut in longinquo habere, veluti trans mare. § 10. Nec iterum postulanti edi praetor jubet, nisi [ex] causa.

7. PAULUS, lib. 5, ad Edictum.

Veluti si peregre habere, quod primum editum est, doceat: vel minus plene editum: vel eas rationes, [quas] casu majore, non vero negligentia perdidit; nam si eo casu amissis, cui ignosci debeat, ex integro edi iubebit.

§ 1. Haec vox, iterum, duas res significat: alteram, qua demonstraretur tempus secundum, quod Graeci δευτερον dicunt: alteram, qua ad insequentia quoque tempora pertinet, quae graece dicitur πάλιν. Quod ita accipitur, quotiens opus erit: nam potest fieri, ut bis editam sibi rationem quis perdidit, ut verbum iterum pro saepius accipiat.

8. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Ubi exigitur argentarius rationes edere, tunc puniatur, cum dolo malo non exhibet: sed culpam non praestabit, nisi dolo proximam. Dolo malo autem non edit, et qui malitiose edidit, et qui in totum non edit.

§ 1. Is autem, qui in hoc edicto incidit, id praestat, quod interfuit mea, rationes edi, cum decerneretur a praetore, non quod hodie

15. L. pen. § 2, supr. de officio praefecti sigill. — 16. L. 9, § 1, infr. h. t. — 17. L. 3, § 5, infr. commodat. — 18. L. 6, § 4, infr. pro socio. — 19. L. 9, § 2, infr. quod cuiusque iuris. — 20. L. 5, C. arbit. tut. — 21. L. 9, § 3, infr. h. t. — 22. L. 25, infr. de donat. — 23. L. 3, § 1, infr. h. t. — 24. L. 9, § 2, infr. h. t. — 25. L. 1, § 1, supr. h. t. — 26. L. 1, supr. h. t. — 27. L. 57, infr. de administr. et peric. tut. — 28. L. 7, § 2, infr. h. t. — 29. L. 7, in pr. supr. de feris. — 30. Immo vide L. 13, in fin. infr. de reb. auctor. iudic. possident. — 31. L. 18, infr. de legat. 5. — 32. L. 6, § 4, supr. L. 10, § 2, infr. h. t. — 33. L. 22, infr. de reb. cred.

TIT. XIV.

DE PACTIS.

1. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Hujus edicti aequitas naturalis est. Quid enim tam congruum fidei humanae, quam ea, quae inter eos placuerunt, servare?

§ 1. Pactum autem a pactione dicitur: inde etiam pacis nomen appellatum est. § 2. Et est pactione, duorum pluriumve in idem placitum consensus. § 3. Conventionis verbum generale est, ad omnia pertinet, de quibus negotii contrahendi, transigendique causa consentiunt qui inter se agunt: nam sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum [locum] colliguntur, et veniunt, ita et qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt. Adeo autem conventionis nomen generale est, ut eleganter dicit Pedius, nullum esse contractum, nullam obligationem, quae non habeat in se conventionem: sive re, sive verbis fiat: nam et stipulatio quae verbis fit, nisi habeat consensus, nulla est. § 4. Sed conventionum pleraque in aliud nomen transeunt: veluti in emptionem, in locationem, in pignus, vel in stipulationem.

2. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Labeo ait, convenire posse, vel re, vel per epistolam, vel per nuncium; inter absentes quoque [posse]: sed etiam tacite consensus convenire intelligitur.

§ 1. Et ideo, si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos convenisse, ne peterem: profuturamque ei conventionis exceptionem placuit.

3. MODESTINUS, lib. 3 Regularum.

Postquam pignus vero debitori reddatur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse dubium non est: nisi specialiter contrarium actum esse probetur.

4. PAULUS, lib. 5, ad Edictum.

Item, quia conventiones [etiam] tacite valent, placet in urbanis habitationibus locandis invecia illata pignori esse locatori, etiamsi nihil nominatum convenerit.

§ 1. Secundum haec, et mutus pacisci potest. § 2. Hujus [rei] argumentum etiam stipulatio dotis causa facta est: nam ante nuptias male petitur, quasi si hoc expressum fuisset: et nuptiis non secutis, ipso jure evanescit stipulatio: idem Juliano placet. § 3. Ex facto etiam consultus cum convenisset, Ut donec usurae solverentur, sors non peteretur, et stipulatio pure concepta fuisset; conditionem inesse stipulationi, atque si hoc expressum fuisset.

5. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Conventionum autem tres sunt species: aut enim ex publica causa sunt, aut ex privata: privata, aut legitima, aut juris gentium. Publica conventio est, quae fit per pacem quotiens inter se duces belli quadam paciscuntur.

6. PAULUS, lib. 5, ad Edictum.

Legitima conventio est, quae lege aliqua confirmatur: et ideo interdum ex pacto actio nascitur vel tollitur, quotiens lege, vel senatusconsulto adjuvatur.

7. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Juris gentium conventiones quadam actiones pariunt, quadam exceptiones. § 1. Quae pariunt actiones, in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus: ut emptio, venditio, locatio, conductio, societas, commodatum, depositum, et ceteri similes contractus. § 2. Sed et si in alium contractum res non transeat, subsistit tamen causa: eleganter Aristo Celso respondit, esse obligationem: ut puta, dedi tibi rem ut mihi aliam dares, dedi ut aliquid facias, hoc συνδουλαια, id est, contractum esse, et hinc nasci civilem obligationem. Et ideo puto, recte Julianum a Mauriciano reprehensum in hoc: Dedi tibi Stichum, ut Pamphilum manumittas, manumisisti: evictus est Stichus: Julianus [scribit] in factum actionem a praetore dandam: ille ait,

L. 54, in fin. L. 56, § 1, infr. de deposit. — L. 74, in pr. infr. de evict. — L. 1, § 5, verb. quotiens, infr. uti possidetis. — L. 23, in pr. infr. de appellat. — L. 4, § 2, infr. a quibus appellat. — L. 84, in fin. infr. de reg. jur. — L. 9, C. h. t. — L. 10, C. si certum petatur. — L. 5, C. de oblig. et act. — 4. L. 5, in pr. infr. de pollicitat. — 5. L. 55, infr. de oblig. et act. — 6. L. 3, § fin. infr. d. t. — 7. L. 7, § 1, infr. h. t. — 8. L. 17, in pr. infr. h. t. — 9. L. 14, § 2, ut. infr. de constitut. pec. — 10. L. 7, C. de remis. pign. — 11. L. 2, § 1, infr. de probat. — 12. L. 2, C. de distract. pign. — L. 2, C. de remis. pign. — 13. L. 2, in fin. infr. de liberat. legat. — 14. L. 4, in pr. infr. in quibus causis pignus de verb. oblig. — 18. L. 6, infr. h. t. — 19. L. 7, in pr. infr. cod. — 20. L. 12, in pr. L. 20, in pr. L. 25, infr. de captiv. et postum. — 21. § 1, Inst. de oblig. — 22. Adde L. 6, C. de dot. promiss. — L. 23, § 2, infr. de donat. — 23. Vide tamen L. 5, § 2, in fin. infr. de praeser. verb.

interest: et ideo licet interesse desiit, vel minoris, vel pluris interesse cepit, locum actio non habebit: neque augmentum, neque diminutionem.

9. PAULUS, lib. 5, ad Edictum.

Quaedam sunt persona, quas rationes nobis edere oportet: nec tamen a praetore per hoc edictum compellantur: veluti cum procurator res: rationes nostras administravit, non cogitur a praetore per metum factum actionis rationes edere: scilicet quia id consequi possumus per mandati actionem. Et cum dolo malo socius negotia gessit, praetor per haec clausulam non intervenit: est enim pro socio actio. Sed nec tutorem cogit praetor pupillo edere rationes; sed iudicio tutelae solet cogi edere. § 1. Nihil interest, si successores, aut pater, aut dominus argentarii, ejusdem fuerint professionis: quia cum in locum, et in jus succedat argentarii, partibus ejus fungi debent. Is autem, cui argentarius rationes suas legavit, non videbitur contineri [quia] juris successor his verbis significatur: non magis, quam si ei vivus eas donasset. Sed nec heres tenetur, cum n. c. possidet, nec dolo malo fecerit. Sed si ei, antequam eas legatario traderet, renunciatum fuerit, ne ante [eas] tradat, tenebitur, quasi dolo fecerit; [item] antequam eas tradat, tenebitur; [quod] si nihil dolo fecerit: causa cognita legatarius cogendus est edere. § 2. Nummularios quoque non esse iniquum cogi rationes edere, Pomponius scribit: quia et hi nummularii, sicut argentarii, rationes conficiunt: quia et accipiunt pecuniam, et erogant per partes, quarum probatio scriptura codicibusque eorum maxime continetur: et frequentissime ad fidem eorum decurrit. § 3. Ceterum omnibus postulantibus, et jurantibus non calumnia causa petere, rationes, quae ad se pertinent, edi jubet. § 4. Ad nos enim pertinet, non tantum cum ipsi contraximus, vel successimus ei, qui contraxit, sed etiam si is, qui in nostra potestate est, contraxit.

10. GAIVS, lib. 4, ad Edictum provinciale.

Argentarius rationes edere jubetur: nec interest, cum ipso argentario controversia sit, an cum alio.

§ 1. Ideo autem argentarios tantum, neque alios ullos absimiles [eis] edere rationes cogit: quia officium eorum, atque ministerium publicum habet causam: et haec principalis eorum opera est, ut actus sui rationes diligenter conficiant. § 2. Edi autem ratio ita intelligitur, si capite edatur [nam] ratio, nisi inspicitur, intelligi non potest: scilicet ut non totum cuique codicum rationum, totasque membranas inspiciendi describendique potestas fiat: sed ut ea sola pars rationum, quae ad instruendum aliquem pertinet, inspicatur et describatur. § 3. Cum autem in id actio competit, quanti agentis intersit editas sibi rationes esse: evenit, ut sive quis condemnatus sit, sive quod petierit, non obtinuerit, eo quod non habuerit rationes, ex quibus causam suam tueri possit; id ipsum, quod ita perdidit, hac actione consequatur. Sed an hoc procedat, videamus. Nam si apud hunc iudicem, qui inter eum, et argentarium iudicat, potest probare, se illo iudicio, quo victus est, vincere potuisse: poterit et tunc probare: et si non probavit, aut praetemptum iudex non curabit, de seipso, aut de iudice quod iudicari debet: sed non ita est. Fieri enim potest, ut nunc rationes, vel ipso edente, vel alio modo nactus, aut aliis instrumentis, vel testibus, quibus illo tempore aliqua ex causa uti non potuit, possit probare, potuisse se vincere: scilicet enim et de cautione subrepta aut corrupta competit conditio, et damni iniuria actio: quia quod ante non potuimus, intercepta cautione, probare, et ob id amissimus, hoc nunc aliis instrumentis, aut testibus, quibus tum uti non potuimus, probare possumus.

11. MODESTINUS, lib. 5 Regularum.

Exempla instrumentorum etiam sine subscriptione edentis, edi posse receptum est.

12. CALLISTRATUS, lib. 4 Edicti monitorii.

Femina remota videntur ab officio argentarii: cum ea opera viri sit.

13. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Haec actio neque post annum, neque in heredem, nisi ex suo facto, dabitur: heredi autem dabitur.

33. Adde L. 5, in pr. infr. mandati. — 34. L. 2, in pr. infr. de praeser. verb. — 35. L. 6, § 2, supr. h. t. — 36. L. 177, in pr. infr. de reg. jur. — 37. L. 10, § 2, infr. que in fraud. credit. — 37. Arg. L. 32, in pr. vers. sed magis, infr. ad leg. Aquil. — 38. L. 6, § 2, supr. h. t. — 39. L. 4, in pr. supr. h. t. — 40. N. 156, Edict. Justinian. — 7. § 4, in fin. — 41. L. 1, § 2, edere supr. h. t. — 42. L. 46, § 2, tutel. infr. de admim. et peric. tut. — 42. L. 1, infr. de fide instrum. — 43. L. 54, in pr. infr. de evict. pr. lost. de oblig. que quasi ex delicto. — 44. L. 44, vers. lib. 2, § 1, infr. ad Sc. Vellei. — L. 2, in pr. infr. de reg. jur. — 46. L. 6, § 1, supr. h. t. — 47. L. 10, C. ut actio, et ab hered. et in hered. — Tit. XIV. — 1. Et infr. 25, tit. de Lib. 2, C. 5; Lib. 4, tit. 54; Lib. 5, tit. 24; et Lib. 5, tit. 35. — 2. L. 7, § 2, infr. h. t. — 3. L. 7, in pr. infr. nautae, caup. 4. — 4. in pr. infr. de constitut. pec.

civilium incerti actionem, id est, praescriptis verbis, sufficere: esse enim contractum, quod Aristoteles *συμβαλλεται* dicit, unde haec nascitur actio. — § 3. Si ob maleficium, *ne fiat*, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventionem. — § 4. Sed cum nulla subest causa propter conventionem, hic constat non posse constitui obligationem. Igitur nuda pactio obligationem non parit²⁴, sed parit²⁵ exceptionem. — § 5. Quinimo, interdum format²⁷ ipsam actionem, ut in bonae fidei iudiciis: solemus enim dicere, *pacta conventa inesse bonae fidei iudiciis*. Sed hoc sic accipiendum est: ut siquidem ex continenti²⁸ pacta subsecuta sunt, etiam ex parte actoris insint: ex intervallo, non inerunt: nec valebunt, si agat: ne ex pacto actio nascatur. Utpote, post divortium convenit, *ne tempore statuto²⁹ dilationis dos reddatur, sed statim*: hoc non valet, ne ex pacto actio nascatur. Idem Marcellus scribit: et si in tutelae actione convenit, *ut maiores, quam statuta sunt³⁰, usure praestentur*, locum non habebit; ne ex pacto nascatur actio: ea enim pacta insunt, quae legem contractui dant, id est, quae in ingressu contractus facta sunt. Idem responsum scio a Papiniano, [et] si post emptionem ex intervallo aliquid extra naturam contractus conveniat: ob hanc causam agi ex empto non posse: propter eandem regulam, *ne ex pacto actio nascatur*: quod et in omnibus bonae fidei iudiciis erit dicendum. Sed ex parte rei locum habebit pactum: quia solent et ea pacta, quae postea interponuntur, parere exceptiones. — § 6. Adeo autem bonae fidei iudiciis exceptiones postea factae, quae ex eodem sunt contractu, insunt, ut constet, in emptione ceterisque bonae fidei iudiciis, re nondum secuta³¹ posse abiri ab emptione. Si igitur in totum potest, cur non et pars ejus pactione mutari potest? Et haec ita Pomponius libro sexto ad edictum scribit. Quod cum est, [etiam] ex parte agentis pactio locum habet, ut et ad actionem proficiat, nondum re secuta, eadem ratione: nam si potest tota res tolli, cur non et reformari: ut quodammodo³² quasi renovatus contractus videatur³³? quod non insubtiliter dici potest. Unde illud aequum non reprobatur, quod Pomponius libris lectionum probat: posse in parte recedi pacto ab emptione: quasi repetita³⁴ partis emptione. Sed cum duo heredes emptori exstiterunt, venditor cum altero pactus est, ut ab emptione recederetur: ait Julianus valere pactionem, et dissolvi pro parte emptionem: quoniam et ex alio contractu paciscendo alter ex heredibus acquirere sibi potuit exceptionem. Utrumque itaque recte placet, et quod Julianus, et quod Pomponius. — § 7. Ait praetor: *Pacta conventa³⁵ quae neque dolo malo³⁶, neque adversus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo³⁷*. — § 8. Pactorum quaedam in rem sunt, quaedam³⁸ in personam. In rem sunt, quotiens generaliter paciscor, *ne petam*: in personam, quoties ne a persona petam, id est *ne a Lucio Titio petam*. Utrum autem in rem, an in personam pactum factum est, non³⁹ minus ex verbis, quam ex mente convenientium aestimandum est: plerumque⁴⁰ enim (ut et Pedius ait) persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstraretur cum quo pactum factum est. — § 9. *Dolo malo* ait praetor *pactum se non servaturum*. *Dolus malus* sit calliditate, et fallacia⁴¹: [et] ut ait Pedius, dolo malo pactum fit, quotiens circumscribendi alterius causa, aliud agitur, et aliud agi simulatur. — § 10. Sed si fraudandi causa pactum factum dicatur, nihil praetor adjicit: sed eleganter Labeo ait, hoc aut iniquum esse, aut supervacuum: iniquum, si quod semel remisit creditor debitori suo bona fide, iterum hoc conetur destruere: supervacuum, si deceptus hoc fecerit: inest enim dolo et fraus. — § 11. Sive⁴² autem ab initio dolo malo pactum factum est, sive post pactum dolo malo aliquid factum est, nocebit exceptio, propter haec verba edicti, *neque fiat*. — § 12. Quod fere novissima parte pactorum⁴³ ita solet inseri, *rogavit Titius, spondit Maevius*: haec verba non tantum pactionis loco accipiuntur, sed etiam stipulationis. Ideoque ex stipulatio nascitur actio: nisi contrarium specialiter adprobetur, quo non animo stipulantium hoc factum est, sed tantum paciscientium. — § 13. Si paciscar, *ne [pro] iudicatu, vel incensarum aedium⁴⁴ agatur*, hoc pactum valet. — § 14. Si paciscar, *ne operis novi nuntiationem exsequar*: quidam putant non valere pactionem, quasi in ea re praetoris imperium versetur: Labeo autem distinguit, ut, si ex re familiari operis novi nuntiatio sit facta, li-

24. L. 15, circ. fin. infr. d. t.; L. 21, C. h. t.; L. 27, C. de locato. — 25. *Fide tamen* L. 5, § 2, infr. de solut. — 26. L. 2, § 4, infr. de doli mali et met. except. — 27. N. 136, c. 1, in fin. — 28. L. 15, C. h. t. — 29. L. un. § 7, C. de rei ux. act. — 30. L. 7, § 10, infr. de adm. et pene. ut. — 31. L. 38, infr. h. t. L. 1, C. quando liceat ab empt. disced. L. 2 et 3, infr. de rescind. vendit. — 32. L. 14, in fin. infr. de rescind. vendit. — 33. L. 6, L. 29, C. h. t. — 34. L. 5, C. de inutil. stipulat. — 37. L. 44, § 1, infr. famul. ercisc. L. 41, infr. de acquir. rer. domin. — 38. *Adde* L. 57, § 1, infr. h. t. — 39. L. 3, § 5, infr. de honor. possess. contra tab. L. 3, § 2, infr. de incend. ruin. naufrag. — 40. L. 40, in pr. infr. h. t. — 41. L. 1, § 2, infr. de dolo malo. — 42. L. 21, § 3, infr. de peculio. — 43. L. 15, infr. tit. prox. — 44. L. 9, infr. de incend. ruin. naufrag. — 45. L. 27, § 4, infr. h. t. — 46. L. 29, circa fin. C. h. t. — 47. L. 17, § 1, L. 27, § 4, infr. h. t. — 48. L. 7, in pr. infr. de eundem furtiv. — 49. d. L. 27,

ceat pacisci: si de re publica, non liceat: quae distinctio vera est. Et in ceteris igitur omnibus ad edictum praetoris pertinentibus, quae non⁴⁵ ad publicam laesionem, sed ad rem⁴⁶ familiarem respiciunt, pacisci licet. Nam et *de furto⁴⁷* pacisci⁴⁸ lex permittit. — § 15. Sed et si quis paciscatur, *ne⁴⁹ depositi agat*: secundum Pomponium valet pactum. Item si quis pactus sit, *ut ex causa depositi omne⁵⁰ periculum praestet*: Pomponius ait, pactionem valere: nec quasi contra juris formam factam non esse servandam. — § 16. Et generaliter, quotiens pactum a jure communi⁵¹ remotum est, servari hoc non oportet: nec⁵² legari, nec jusjurandum de hoc adactum, *ne quis agat*, servandum, Marcellus libro secundo Digestorum scribit: et si⁵³ stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet, servanda non est: sed omnimodo rescindenda. — § 17. Si ante aditam hereditatem paciscatur quis cum creditoribus, *ut minus solvatur*, pactum valiturum est. — § 18. Sed si servus sit, qui paciscitur, priusquam libertatem et hereditatem adipiscatur, quia sub conditione heres scriptus fuerat, non profuturum pactum, Vindius scribit: Marcellus autem libro octavo decimo Digestorum, et suum heredem, et servum necessarium pure scriptos, paciscentes, priusquam se immisceant, putat recte pacisci: quod verum est. Idem et in extraneo herede: qui si mandatu creditorum adierit, etiam mandati putat eum habere actionem. Sed si quis, ut supra retulimus, in servitute pactus est, negat Marcellus: quoniam non solet ei proficere, si quid in servitute egit, post libertatem: quod in pacti exceptione admittendum est. Sed an [vel] doli ei prosit exceptio, quaeritur? Marcellus in similibus speciebus, licet antea dubitavit, tamen admisit: ut puta filiusfamilias heres institutus, pactus est cum creditoribus, et emancipatus adijt hereditatem: et dicit doli eum posse uti exceptione. Idem probat, et si filius vivo patre cum creditoribus paternis pactus sit: nam et hic doli exceptionem profuturam. Imo et in servo doli exceptio non est respicienda. — § 19. Hodie tamen, ita demum pactio hujusmodi creditoribus obest, si⁵⁴ convenerint in unum, et communi consensu declaraverint, quata parte debiti contenti sint: si vero dissentiant, tunc praetoris⁵⁵ partes necessariae sunt, qui decreto suo sequetur majoris partis voluntatem.

8. PAPINIANUS, lib. 10 Responsorum.

Majorem esse partem, pro modo debiti⁵⁶, non pro numero personarum placuit. Quod si aequales sint in cumulo debiti, tunc plurium numerus creditorum preferendus est: in numero autem pari creditorum, auctoritate ejus sequetur praetor, qui⁵⁷ dignitate inter eos praecellit: sin autem omnia undique in unam aequalitatem concurrant, humanior⁵⁸ sententia a praetore eligenda est: hoc enim ex divi Marci rescripto colligi potest.

9. PAULUS, lib. 62, ad Edictum.

Si plures sint, qui eandem actionem habent, unius loco habentur. Utpote, plures sunt rei stipulandi; vel plures argentarii, quorum⁵⁹ nomina⁶⁰ simul facta sunt: unius loco numerabuntur; quia⁶¹ unum debitum est. Et cum tutores pupilli creditoris plures convenissent, unius loco numerantur: quia unius pupilli nomine convenerat. Necnon et unus tutor plurium pupillorum nomine⁶² unum debitum pretendendum, si convenerint, placuit unius loco esse: nam⁶³ *difficile⁶⁴ est, ut unus homo duorum vicem sustineat*: nam nec is, qui plures actiones habet adversus eum, qui [unam] actionem habet, plurium personarum loco accipitur. — § 1. Cumulus debiti [et] ad plures summas referemus, si uni forte minutae summae centum aureorum debeantur, alii vero una summa aureorum quinquaginta: nam in hunc casum spectabimus summas plures: quia illae excedunt in unam summam coadunatae. — § 2. Summae autem applicare debemus etiam usuras.

10. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum

Rescriptum [autem] divi Marci sic loquitur, quasi omnes creditores debeant convenire. Quid ergo si quidam absentes sint? non exemplum praesentium absentes sequi debeant? Sed an et privilegiiis absentibus haec pactio noceat, eleganter tractatur: si modo valet pactio contra absentes. Et repeto, ante formam a divo Marco datam divum Pium rescripsisse, *fiscum quoque in his casibus⁶⁵, in quibus hypothecas non⁶⁶ habet, et ceteros privilegiiarios exemplum creditorum⁶⁷ sequi oportere*.

§ 3. — 50. L. 1, § 35, infr. depositi. — 51. § 3, sup. hic. L. 28, in pr. infr. h. t. L. 27, infr. de reg. jur. — 52. L. 112, § pen. et ult. infr. de legat. 1, N. 51, in prae. — 53. L. 55, § 1, infr. de verb. oblig. — 54. L. 10, in pr. infr. h. t. — 55. L. 5, § 1, infr. de liberali caus. — 56. L. 14, in pr. infr. depositi. L. 16, infr. de reb. auct. judic. possid. — 57. L. 3, § 2, in med. infr. de testib. — 58. L. 10, § 1, in fin. infr. de reb. dub. L. 10, in pr. infr. de inoffic. testam. L. 24, infr. de manumis. L. 38, infr. de re judic. — 59. L. 24, in pr. vers. idem in. infr. de re. L. 24, infr. de manumis. L. 38, infr. de re judic. Inst. de literar. oblig. L. 1, in pr. de SC. Macedon. — 61. L. 3, in fin. infr. de duobus reis constit. — 62. L. 4, § 1, infr. de tutel. § 5, Inst. de excusat. — 63. L. 27, C. de procur. — 64. L. 25, § 4, circa fin. infr. ad SC. Tre bell. Immo vide L. 59, in fin. infr. d. t. — 65. L. 6, infr. de jure fisci. — 66. Obs. L. 46, § 3 infr. d. t. — 67. Obs. L. 58, § 1, infr. mandati.

Haec enim omnia in his creditoribus, qui hypothecas non habent, conservanda sunt.

§ 1. Si pacto subjecta sit pena stipulatio, quaeritur, utrum pacti exceptio locum habeat, an ex stipulatio actio? Sabinus putat, quod est verius, utraque via uti posse, prout⁶⁸ elegerit qui stipulatus est: si tamen ex causa pacti exceptio utatur, aequum erit accepto eum stipulationem ferre. — § 2. Plerumque solemus dicere, *doli exc pationem subsidium esse pacti exceptionis*: quosdam denique, qui exceptione pacti uti non possunt, doli exceptione usuros, et Julianus scribit, et alii plerique consentiunt: ut puta si procurator meus paciscatur, exceptio doli mihi proderit, ut Trebatius videtur: qui putat, sicuti pactum procuratoris mihi nocet⁶⁹, ita et prodesse.

11. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Quia et solvi ei⁷⁰ potest.

12. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Nam et nocere constat: sive ei mandavi, ut pacisceretur, sive⁷¹ omnium rerum mearum procurator facti sit: ut et Puteolanus lib. 4 Adversoriorum scribit: cum placuit, eum etiam rem in iudicium deducere.

13. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Sed si tantum ad actionem procurator factus sit, conventio facta domino non nocet: quia nec solvi⁷² possit. — § 1. Sed si in rem suam datus sit procurator, loco domini habetur: et ideo servandam erit pactum conventum⁷³.

14. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Item magistri⁷⁴ societatum pactum et prodesse et obesse constat.

15. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Tutoris quoque [ut scribit Julianus] pactum pupillo⁷⁵ prodest.

16. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Si cum emptore hereditatis pactum sit factum, et venditor hereditatis petat, doli exceptio⁷⁶ nocet: nam ex rescriptum est a divo Pio, utiles actiones⁷⁷ emptori hereditatis dandas, merito adversus venditorem hereditatis exceptione doli debitor hereditarius uti potest.

§ 1. Sed et si inter dominum rei venditae, et emptorem convenisset, *ut homo, qui emptus erat, redderetur ei, qui pro domino rem vendidit*: petenti ei pretium, doli exceptio nocet.

17. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Si tibi decem dem, et paciscar, *ut viginti mihi debeantur⁷⁸*, non nascitur obligatio ultra⁷⁹ decem: re enim non potest obligatio contrahi, nisi⁸⁰ quatenus⁸¹ datum sit.

§ 1. Quaedam actiones per pactum ipso jure tolluntur: ut injuriarum⁸², item furti⁸³. — § 2. De⁸⁴ pignore jure honorario nascitur⁸⁵ pactio actio: tollitur⁸⁶ autem per exceptionem, quotiens paciscor, *ne petam*. — § 3. Si quis paciscatur, *ne a se petatur [sed ut ab herede petatur]*; heredi exceptio non proderit⁸⁷. — § 4. Si pactus sim, *ne a me, neve a Titio petatur*; non proderit Titio, etiamsi heres extiterit: quia ex postfacto id confirmari non potest. Hoc Julianus scribit in patre, qui pactus erat, *ne a se neve a filia peteretur*: cum filia patri heres extitisset⁸⁸. — § 5. Pactum conventum cum venditore factum, si in rem constitutum, secundum plurium sententiam et emptori prodest: et hoc jure nos uti Pomponius scribit: secundum Sabini autem sententiam, etiamsi in personam conceptum est, et in emptorem valet, qui hoc esse existimat, etsi per donationem successio facta sit. — § 6. Cum possessor alienae hereditatis pactus est, heredi, si evertit, neque nocere, neque⁸⁹ prodesse, plerique putant. — § 7. Filius, servusve, si paciscantur, *ne a patre dominove petatur*.

18. GAIVS, lib. 1, ad Edictum provinciale.

(Sive de eo paciscantur, quod cum ipsis; sive de eo, quod cum patre dominove contractum est.)

19. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Adquirent exceptionem: idem est et in his, qui bona fide serviunt. § 1. Item, si filiusfamilias pactus fuerit, *ne a se petatur*, proderit ei, et patri quoque, si de peculio conveniatur.

68. *Adde* L. ult. in fin. infr. de eo quod certo loco. — 69. L. 22, infr. h. t. — 70. L. 34, § 3, infr. de solutionibus. — 71. L. 27, § ult. infr. de iurejurand. — 72. L. 86, infr. de solutionibus. — 73. *Adde* d. L. 17, in fin. — 74. L. 57, in pr. infr. de verb. sign. — 75. L. 28, § 1, infr. h. t. — 76. L. 10, § ult. sup. h. t. — 77. L. 1, L. 2, C. de obligationib. et actionib.; L. 7, C. de her. vel act. vend. — 78. *Adde* L. 27, § 5, infr. h. t. — 79. L. 11, § 1, infr. de reb. cred.; L. 22, C. de fidejussor. — 80. L. 9, C. de non numerata pecun. — 81. *Fide tamen* L. 43, infr. h. t. — 82. L. 27, § 2, vers. sed si pactum, infr. h. t. L. 17, § 6, infr. de iurur. — 83. L. 7, § 14, in fin. sup. h. t. — 84. L. 49, in fin. infr. de solutione. — 85. L. 1, in pr. et § 1, infr. de pignorat. act. L. 9, in pr. infr. qui potiores in pign. — 86. L. 5, in pr. et § 1, infr. quib. mod. pign. — 87. L. 25, § 1, infr. h. t. — 88. L. 21, § 2, in fin. infr. h. t. L. 7, vers. si vero filia, infr. de pact.

20. GAIVS, lib. 1, ad Edictum provinciale. Vel de in rem verso: vel is quasi defensor filii, si hoc maluerit, conveniatur.

21. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Et heredi patris vivo filio: post mortem vero filii nec patri, nec heredi ejus: quia personale pactum est.

§ 1. Quod si servus, *ne a se peteretur*, pactus fuerit, nihil valebit pactum. De doli exceptione videamus: et si in rem paciscatur, proderit domino, et heredi ejus pacti conventi exceptio: quod si in personam pactum conceptum est, tunc domino doli superest exceptio. — § 2. Nos autem his qui in nostra potestate sunt, paciscendo prodesse non possumus: sed nobis id profuturum, si nomine eorum conveniamur, Proculus ait. Quod ita recte dicitur, si in paciscendo id actum sit. Ceterum si paciscar, *ne a Titio petas*, deinde actionem adversus me nomine ejus instituas, non est danda pacti conventi exceptio: nam quod ipsi inutile est, nec defensori competit. Julianus quoque scribit: Si pater pactus sit, *ne a se neve a filio petatur*, magis est, ut pacti exceptio filiofamilias danda non sit: sed doli prosit. — § 3. Filiafamilias pacisci potest, *ne de dote agat, cum sui juris esse⁹⁰ coeperit*. — § 4. Item filiusfamilias de eo, quod sub conditione legatum est, recte paciscitur. — § 5. In his, qui ejusdem pecuniae exactionem habent in solidum, vel qui ejusdem pecuniae debitores sunt, quatenus alii quoque prosit vel noceat pacti exceptio, quaeritur: et in⁹¹ rem pacta omnibus prosunt, quorum obligationem dissolutam esse ejus qui pacisceretur, interfuit: itaque debitoris conventio fidejussoribus proficiet⁹².

22. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Nisi hoc actum est, *ut duntaxat a reo non petatur, [a fidejussore petatur]*: tunc enim fidejussor exceptione non utetur.

23. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Fidejussoris autem conventio⁹³ nihil⁹⁴ proderit reo⁹⁵: quia nihil ejus interest, a debitore pecuniam non peti: imo nec confidejussoribus⁹⁶ proderit: neque enim, quoquomodo ejusque interest. Cum alio conventio facta prodest: sed tunc demum, cum per eum, qui exceptio datur, principaliter ei, qui pactus est, proficiat: sicut in reo promittendi, et his, qui pro eo obligati sunt.

24. Idem, lib. 3, ad Plautium.

Sed si fidejussor in rem suam spondit, hoc casu fidejussor pro reo accipiendus est: et pactum cum eo factum, cum reo factum esse videtur.

25. Idem, lib. 3, ad Edictum.

Idem in duobus reis promittendi, et duobus argentariis sociis⁹⁷. § 1. Personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad heredem, Labeo ait. — § 2. Sed quamvis fidejussoris pactum reo non⁹⁸ prosit, plerumque tamen doli exceptionem reo profuturam Julianus scribit.

26. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Videlicet si hoc actum sit, *ne a reo quoque petatur*. Idem et in confidejussoribus est.

27. PAULUS, lib. 3, ad Edictum.

Si unus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit: an etiam alteri noceat exceptio? Neratius, Attilicianus, Proculus, nec⁹⁹ si in rem pactus sit, alteri nocere: tantum enim constitutum, ut solidum alter petere possit. Idem Labeo: nam nec novare alium posse, quamvis ei¹⁰⁰ recte solvatur. Sic enim et his, qui in nostra potestate sunt, recte solvi, quod crediderint, licet novare¹ non possint: quod est verum. Idemque in duobus reis stipulandi dicendum est².

§ 1. Si cum reo ad certum tempus pactio facta sit, ultra³ neque reo, neque fidejussori prodest. Quod si sine persona [sua] reus pepigerit, *ne a fidejussore petatur*, nihil id prodesse fidejussori quidam putant, quamquam id rei intersit: quia ea demum competere ei debeat exceptio, quae et reo. Ego didici prodesse fidejussori exceptionem: non sic enim illi per liberam personam adquiri, quam ipsi, qui pactus sit, consuli videatur: quo jure utimur. — § 2. Pactus, *ne peteret*, postea convenit, *ut peteret*, prius pactum per posterius eliditur: non quidem ipso jure⁴, sicut tollitur stipulatio per stipulationem, si hoc actum est⁵, quia in stipulationibus jus continetur, in pactis factum verum est et ideo repli-

dot. — 89. Immo vide L. 22, in fin. infr. de constit. pec. — 90. L. S, L. 9, infr. de capite minutis. — 91. L. 7, § 1, infr. de except. — 92. L. 31, infr. h. t. L. 9, § 1, infr. de duobus reis constit. *adde* c. 1, § 95, § pen. infr. de solutione. — 93. *Fide tamen* L. 38, § 1: L. ult. § 1, infr. de iurejur. — 94. Obs. L. 15, § 7, infr. de acceptil. — 95. L. 25, in fin.; L. 26, infr. h. t. — 96. L. 15, § 1, infr. de fidejuss. — 97. L. 10, infr. de duobus reis constit. — 98. L. 23, sup. h. t. — 99. Immo vide L. 28, in pr. infr. de iurejur.; L. 15, in fin. infr. de acceptil. — 100. L. 2, o, infr. de novationib. — 1. L. 25, infr. d. t. excipit. L. 20, L. 21, infr. de iurejur.; L. ult. in pr. infr. de novat. — 2. *Fide tamen* L. 31, § 1, infr. d. t. — 3. § 10, Inst. de except. — 4. Obs. L. 95, § 4, infr. de solut. et liberat. — 5. § 3, vers. sed cum hoc. Inst. quib. mod. tollitur oblig.

atione exceptio eliditur. Eadem ratione contingit, ne fidejussoribus prius pactum prosit. Sed si pactum conventum tale fuit, quod actionem quoque tolleret, velut injuriarum, non poterit postea paciscendo, ut agere possit, agere: quia et prima actio sublata est, et posterius pactum ad actionem parandam inefficax est: non enim ex pacto injuriarum actio nascitur, sed ex contumelia. Idem dicemus, et in bonae fidei contractibus, si pactum conventum totam obligationem sustulerit, veluti empti: non enim ex novo pacto prior obligatio rescinditur, sed proficiet pactum ad novum contractum. Quod si non ut totum contractum tolleret, pactum conventum interesset, sed ut imminueret: posterius pactum potest renovare primum contractum. Quod et in specie dotis actionis procedere potest: puta pactam mulierem, ut praesenti die dos redderetur: deinde pacisci, ut tempore et legibus dato, dos reddatur: incipiet dos redire ad jus suum: nec dicendum est deteriorum conditionem dotis fieri per pactum: quotiens enim ad jus, quod lex naturae ejus tribuit, de dote actio redit, non fit causa dotis deterior, sed formae suae redditur. Haec et Scavola nostro placuerunt. — § 3. Illud nulla pactio effici potest, ne dolius prestetur: quamvis si quis paciscatur, ne depositum agat, vi ipsa id pactum videatur, ne de dolo agat: quod pactum proderit. — § 4. Pacta, quae turpem causam continent, non sunt observanda: veluti si paciscar, ne furti agam, vel injuriarum, si feceris: expedit enim timere furti, vel injuriarum poenam. Sed post admissa haec, pacisci possumus. Item, ne experiar interdictione unde vi, quatenus publicam causam contingit, pacisci non possumus. Et in summa si pactum conventum a re privata remotum sit, non est servandum. Ante omnia enim animadvertendum est, ne conventio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re, aliae persona noceat. — § 5. Si cum decem mihi deberes, pepigero, ne a te viginti petam: in decem prodesse tibi pacti conventi vel doli exceptionem placet. Item, si cum viginti deberes, pepigero, ne decem petam: efficeretur per exceptionem mihi opponendam, ut tantum reliqua decem exigere debeam. — § 6. Sed [si] stipulatus decem aut Stichum, [de] decem pactum sit, et petam Stichum aut decem: exceptionem pacti conventi in totum obstat: nam ut solutione, et petitione, et acceptilatione unius rei tota obligatio solveretur: ita pacto quoque convento de una re non petenda interposito tota obligatio summoverti. Sed si id actum inter nos sit, ne decem mihi, sed Stichum praestetur, possum efficaciter de Stichio agere, nulla exceptione opponenda. Idem est et si de Stichio non petendo convenerit. — § 7. Sed si generaliter mihi hominem debeas, et paciscar, ne Stichum petam: Stichum quidem petendo, pacti exceptio [mihi] opponetur: alium autem hominem si petam, recte agam. — § 8. Item si pactus, ne hereditatem peterem, singulas res, ut heres, petam ex eo quod pactum erit, pacti conventi exceptio aptanda erit: quemadmodum si convenerit, ne fundum peterem, et usum fructum petam: aut, ne navem adificiumve peterem, et dissolutis his singulas res petam: nisi specialiter aliud actum est. — § 9. Si acceptilatio inutilis fuit, tacita pactio id actum videtur, ne peteretur. — § 10. Servus heredi post adituro nominatim conventi non potest: quia nondum is dominus sit: sed si in rem pactum pactum factum sit, heredi acquiri potest.

28. GAIVS, lib. 1, ad Edictum provinciale.

Contra juris civilis regulas pacta conventa rata non habentur: veluti, si pupillus sine tutoris autoritate pactus sit, ne a debitore suo peteret, aut, ne intra certum tempus (veluti quinquennium) peteret: nam nec solvi ei sine tutoris autoritate potest. Ex diverso autem pupillus paciscatur, ne quod debeat, a se peteretur, ratum habetur pactum conventum: quia meliorem conditionem suam facere ei etiam sine tutoris autoritate concessum est. — § 1. Si curator furiosus aut prodigi pactus sit, ne a furioso, aut prodigo peteretur: longe utile est curatoris recipi pactiones: sed non contra. — § 2. Si filius, aut servus pactus sit, ne ipse peteret, inutile est pactum. Si vero in rem pacti sunt, id est, ne ea pecunia peteretur: ita pactio eorum rata habenda erit adversus patrem dominumve, si liberam pecuniam administrationem habeant: et ea res, de qua pacti sint, peculiaris sit. Quod et ipsum non est expeditum: nam cum verum est, quod Juliano placet, etiamsi maxime quis administrationem pecuniae habeat concessam, donandi jus cum non habere: sequitur, ut, si donandi causa de non petenda pecunia pactus sit, non debeat ratum haberi pactum conventum. Quod si pro eo, ut ita pacisceretur, aliquid, in quo non minus vel etiam amplius esset, consecutus fuerit: rata habenda est pactio.

6. Dist. L. ult. inf. h. t. — 7. L. 17, in pr. inf. commodati. — 8. Adde L. 5, in pr. inf. de pacti dotalib. — 9. L. 70, § ult. inf. de fidejuss. — 10. L. 38, § 17, inf. de verb. oblig. — 11. L. 110, in pr. inf. de reg. jur. — 12. Inno. rite L. 4, inf. de rescind. vendit. L. 15, § 6, inf. de acceptil. — 13. Dist. L. 18, inf. de opt. legat. — 14. Inno. rite L. 15, § 6, inf. de acceptil. — 15. Adde L. 7, § 2, inf. de except. rei judicat. — 16. L. 8, in pr. inf. de acceptil. — 17. Vide tamen L. 31, inf. h. t. — 18. L. 15, inf. de solutio. — 19. In pr. Inst. de auctor. tut. — 20. L. 21, C. h. t. — 21. Arg. L. 7, in pr. inf. de donation. — 22. Inno. rite L. 18, in fin. inf. de pignorat. act. L. 10, C. quod cum eo, qui in alien. potest. — 23. L. 7, in pr. inf. de

29. ULPIANUS, lib. 4, ad Edictum.

Sin autem dominicam pecuniam crediderit: quod credendi tempore pactus est, valere Celsus ait.

30. GAIVS, lib. 1, ad Edictum provinciale.

In persona tamen filiifamilias videndum est, ne aliquando et, si pactus sit, ne ageret, valeat pactio: quia aliquando filiusfamilias habet actionem, veluti injuriarum. Sed cum propter injuriam filio factam habeat et pater actionem, quin pactio filii nocitura non sit patri agere volenti, dubitari non oportet. — § 1. Qui pecuniam a servo stipulatus est, quam sibi Titius debebat, si a Titio petat, an exceptio pacti conventi summoverti et possit et debeat, quia pactus videatur, ne a Titio petat: quasi-tum est? Julianus ita summovertendum putat, si stipulator in dominum istius servi de peculio actio danda est: id est, si justam causam intercedendi servus habuit: quia forte tantandem pecuniam Titio debuit. Quod si quasi fidejussor intervenit, ex qua causa in peculium actio non daretur: non esse inhihendum creditorem, quo minus a Titio petat. Aequo nullo modo prohiberi eum debere, si eum servum liberum esse credidisset. — § 2. Si sub conditione stipulatus fuerim a te, quod Titius mihi pure deberet: an deficiente conditione, si a Titio petam, exceptione pacti conventi et possim et debeam summoverti? et magis est, exceptionem non esse opponendam.

31. ULPIANUS, lib. 1, ad Edictum aedilium curulium.

Pacisci contra edictum aedilium omnimodo licet: sive in ipso negotio venditionis gerendo convenisset, sive postea.

32. PAULUS, lib. 5, ad Plautium.

Quod dictum est, si cum reo pactum sit, ut non petatur, fidejussori quoque competere exceptionem: propter rei personam placuit, ne mandati iudicio conveniatur. Igitur si mandati actio nulla sit, forte si donandi animo fidejusserit, dicendum est, non prodesse exceptionem fidejussori.

33. CELSUS, lib. 1 Digestorum.

Avus neptis nomine, quam ex filio habebat, dotem promisit, et pactus est, ne a se, neve a filio suo dos peteretur: si a coherede filii dos petatur, ipse quidem exceptione conventionis tuendus non erit: filius vero exceptione conventionis recte utetur, quippe heredi consuli concessum est, nec quicquam obstat, uni tantum ex heredibus providere, si heres factus sit: ceteris autem non consuli.

34. MODESTINUS, lib. 3 Regularum.

Jus agnationis non posse pacto repudiari, non magis, quam ut quis dicat, nolle suum esse, Juliani sententia est.

35. IDEM, lib. 2 Responsorum.

Tres fratres, Titius, et Mevius, et Seia communem hereditatem inter se dividerunt, instrumentis interpositis, quibus divisisse maternam hereditatem dixerant: nihilque sibi commune remansisse caverunt: sed postea duo de fratribus, id est, Mevius et Seia, qui absentes erant tempore mortis matris suae, cognoverunt pecuniam auream a fratre suo esse subtraham, cujus nulla mentio instrumenti divisionis continebatur. Quæro, an, post pactum divisionis, de subrepta pecunia fratribus adversus fratrem competit actio? Modestinus respondit, si agentibus ob portionem ejus, quod subreptum a Titio dicitur, generalis pacti conventi exceptio his, qui fraudem a Titio commissam ignorantes transegerunt, obijciatur: de dolo utiliter replicari posse.

36. PROCLUS, lib. 5 Epistolarum.

Si cum fundum meum possides, convenisset mihi tecum, ut ejus possessionem Attio traderes, vindicantem eum fundum a te non aliter me conventionis exceptione excludi debere, quam si aut jam tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset, et per te non staret, quominus traderes.

37. PAPIRIUS JUSTUS, lib. 2, de Constitut.

Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt: Debitori reipublicae a curatore permitti pecuniam non posse: et cum Philippensibus remissa essent, revocandas.

38. PAPIANUS, lib. 2 Questionum.

Jus publicum privatorum pactis mutari non potest.

39. IDEM, lib. 3 Questionum.

Veteribus placet, pactionem obscuram, vel ambigam, venditori

donat. L. 52, § 26, inf. de furti. — 24. L. 41, inf. de injur. — 25. L. 25, C. h. t. — 26. L. 5 § 6, inf. de pecul. — 27. L. 14, in pr. inf. de novat. — 28. L. 14, § pen. inf. de edil. edict. — 29. L. 21, in fin. sup. h. t. — 30. L. 10, inf. de pact. dotal. — 31. Vide tamen L. 56, § 1 inf. de verb. oblig. — 32. L. 15, in fin. inf. d. t. — 33. Adde L. 7, § 16, sup. h. t. L. 8 inf. de capite minut. L. 3, inf. de reg. jur. — 34. L. 20, § 4, inf. fam. ercisc. — 35. L. 1, C. de donat. que sub modo. — 36. L. 5, in pr. inf. de condit. caus. data. — 37. L. 4, in pr. inf. de decret. ab ordine fac. — 38. Excep. L. 5, C. de usur. — 39. L. 20, inf. de religiosis. — 40. L. 21, inf. de contrah. empt.

et qui locavit, nocere: in quorum fuit potestate legem apertius conscribere.

40. IDEM, lib. 1 Responsorum.

Tale pactum, Proftitor te non teneri, non in personam dirigitur: sed, cum generale sit, locum inter heredes quoque litigantes habebit. — § 1. Qui provocavit, pactus est, intra diem certum pecuniam, quam transegerat, non soluta, iudicatis se satisfacturum, iudex appellations, nullo alio de principali causa discusso, iustam conventionem velut confessi sequetur. — § 2. Post divisionem bonorum, et aeris alieni, singuli creditores a singulis heredibus, non interpositis delegationibus, in solidum, ut convenerat, usuras acceptaverunt: actiones, quas adversus omnes pro partibus habent, impediendae non erunt: si non singuli, pro fide rei gestae, totum debitum singulis offerant. — § 3. Pater, qui dotem promisit, pactus est, ut post mortem suam in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud heredem suum frater remaneret, ea conventio liberis a socio postea summissis, et heredibus testamento relictis per exceptionem doli proderit: cum inter contrahentes id actum sit, ut heredibus consulatur: et illo tempore, quo pater alios [filios] non habuit, in fratrem suum iudicium supremum contulisse videatur.

41. IDEM, lib. 11 Responsorum.

Intra illum diem debiti partem mihi si solveris, acceptum tibi residuum feram, et te liberabo: licet actionem non habet, pacti tamen exceptionem competere debitori constituit.

42. IDEM, lib. 17 Responsorum.

Inter debitorem et creditorem convenerat, ut creditor onus tributi praedii pignorat non agnosceret, sed ejus solvendi necessitas debitorem spectaret: talem conventionem, quantum ad fisci rationem, non esse servandam respondi. Pactis etenim privatorum formam juris fiscalis convelli non placuit.

43. PAULUS, lib. 3 Questionum.

In emptionibus scimus, quid praestare debitor debeat, quidque, ex contrario emptor: quod si in contrahendo aliquid exceptum fuerit, id servari debet.

44. SCAEVOLA, lib. 8 Responsorum.

Cum in eo esset pupillus, ut ab hereditate patris abstinere, tutor cum plerisque creditoribus decidit, ut certam portionem acciperent [idem curatores cum aliis fecerunt]: quæro, an et tutor, idemque creditor patris eandem portionem retinere debeat? Respondi, eum tutorem, qui ceteros ad portionem vocaret, eadem parte contentum esse debere.

45. HERMOGENIANUS, lib. 2 juris Epitomarum.

Divisionis placitum, nisi traditione, vel stipulatione sumat effectum, ad actionem, ut nudum pactum, nulli prodesse poterit.

46. TRYPHONINUS, lib. 2 Disputationum.

Pactum inter heredem et legatarium factum, ne ab eo satis accipiatur, cum in semestribus relata est constitutio divi Marci, servari in hoc quoque defuncti voluntatem; validam esse constat: nec a legatario remissa heredi satisfactio per pactionem, ex potentia revocari debet: cum liceat cui sui juris persecutionem, aut spem futura perceptionis, deteriorum constituit.

47. SCAEVOLA, lib. 1 Digestorum.

Emptor praedii viginti caverat se soluturum, et stipulanti sponderat: postea venditor eavit, sibi convenisse, ut contentus esset tredecim: et ut ea intra praefinita tempora acciperet, debitor ad eorum solutionem conventus, pactus est, si ea soluta intra praefinitum tempus non essent, ut ex prima cautione ab eo petito esse. Quaesitum est, an cum posteriore pacto satisfactum non sit, omne debitum ex prima cautione peti potest? Respondi, secundum ea quae proponerentur, posse. — § 1. Lucius Titius Graium Scium mensularium, cum quo rationem implicitam habebat propter accepta et data, debitorem sibi constituit, et ab eo epistolam accepit in haec verba: Ex ratione mensae, quam mecum habuisti in hunc diem, ex contractibus plurimis remanserunt apud me ad mensam meam trecenta octoginta sex, et usurae, quae competuerunt, summam aureorum,

41. Vide tamen L. 66, inf. de iudicis. — 42. L. 7, § 8, sup. h. t. — 43. L. 25, § 4, C. de iudicis. — 44. Adde L. 5, C. de re iudicata. — 45. L. 7, § 15, inf. de legat. 2. — 46. d. L. 5, C. de re iudicata. — 47. L. 25, C. fam. ercisc. — 48. L. 15, § 2, inf. de testam. tut. — 49. L. 22, in pr. vers. Bassidia, inf. ad Sc. Trebell. — 50. L. 32, § pen. inf. de adm. et peric. tut. — 51. L. 1, C. sine censu vel reliq. — 52. L. 51, § pen. inf. h. t. — 53. L. 11, § 1, inf. de acc. empt. — 54. L. 13, § 2, inf. d. t. — 55. L. 7, § 5, in fin. sup. h. t. — 56. Haec abrogatum N. 72. — 57. L. 39, in fin. inf. de adm. et peric. tut. sup. quod quisque iur. — 58. L. 28, inf. h. t. — 59. L. 21, C. h. t. — 60. L. ult. in fin. inf. de peric. exportand. L. 12, inf. de acquir. vel omitt. hered. L. 1, C. de her. et test. — 61. L. 1, C. de h. pass. legator. — 62. L. 29, C. h. t. — 63. L. 2, § 2, in fin. sup. h. t. — 64. L. 27, C. de transact.

quam apud me tacitam habes, refundam tibi; si quod instrumentum a te emissum, [id est scriptum] cuiuscunque summa ex quacunque causa apud me remansit, vanum, et pro cancellato habebitur: quæsum est, cum Lucius Titius ante hoc chirographum Seio nummulario mandaverat, uti patrono ejus trecenta redderet, an propter illa verba epistola, quibus, omnes cautiones ex quocunque contractu vanae, et pro cancellata o ni haberentur, cautum est, neque ipse, neque filii ejus, eo nomine conveniri possunt? Respondi, si tantum ratio accepti atque expensi esset computata, ceteras obligationes manere in sua causa.

48. GAIVS, lib. 3, ad legem XII Tabularum.

In traditionibus rerum quocunque pactum sit, id valere manifestissimum est.

49. ULPIANUS, lib. 56, ad Sabinum.

Si quis crediderit pecuniam, et pactus sit, ut, quatenus facere possit debitor, eatenus agat: an pactum valeat? Et magis est, hoc pactum valere: nec enim improbum est si quis hactenus desideret conveniri, quatenus facultates.

50. IDEM, lib. 42, ad Sabinum.

Non impossibile puto in contractibus depositi, commodati, [et] locati, et ceteris similibus hoc pactum, ne facias furem servum meum: hoc est, ne sollicitus, ut fur fiat, ut fugitivus fiat, ne ita negligas servum, ut fur efficiatur: sicut enim servi corrupti actio locum habet, ita potest etiam haec pactio locum habere, quæ ad non corrumpendos servos pertinet.

51. IDEM, lib. 26, ad Edictum.

Si cum te ex causa legati debere [pacisci] debitori tuo existimas, pactus sit ne ab eo peteres: neque jure ipso liberatur debitor, neque petentem summovertit exceptione conventionis, ut Celsus lib. xx scribit. — § 1. Idem eodem loco scribit, si debitorem tuum iussisti solvere Titio, cui legatum falso debere existimas, et debitor pactus sit cum Titio suo debitore constituto: neque tibi adversus tuum debitorem, neque ipsi adversus suum, actionem peremptam.

52. IDEM, lib. 1 Opiniorum.

Epistola, qua quis coheredem sibi aliquem [esse] cavit, petitionem nullam adversus possessores rerum hereditariarum dabit. — § 1. Si inter debitorem, et eum, qui fundum pignoratam a creditore, quasi debitoris negotium gereret, emerit, placuit, ut, habita compensatione fructuum, solutoque, quod reliquum deberetur, fundus debitori restitueretur: etiam heres pacto quod defunctus fecit, fidem praestare debet. — § 2. Pactum, ut, si quas summas propter tributiones praedii pignori nexi facias creditor solvisset, a debitore reciperet, et ut tributa ejusdem praedii debitor penderet, justum, ideoque servandum est. — § 3. De infelicio patris testamento acturis, ut eis certa quantitas praedii viveret heres, praesaretur, pactus est: produci ad perpetuum probationem id pactum postulabatur: rescriptum est, neque jure ullo, neque aequitate tale desiderium admitti.

53. IDEM, lib. 4 Opiniorum.

Sumptus quidem prorogare litiganti honestum est: pacisci autem, ut non quantitas eo nomine expensa cum usuris licitis restituatur, sed pars dimidia ejus, quod ex ea lite datum erit: non licet.

54. SCAEVOLA, apud Julianum, lib. 22 Digestorum, notat.

Si pactus sum, ne Stichum qui mihi debebatur, petam: non intelligitur mora mihi fieri: mortuoque Stichio puto non teneri reum, qui ante pactum moram non fecerat.

55. JULIANUS, lib. 55 Digestorum.

Si debitor sit fructuarius, et paciscatur servus, in quo usum fructum habet, ne ab eo petatur: paciscendo meliorem conditionem ejus facit. Item (si) creditor esset fructuarius, et pactus esset, ne peteret: servus autem fructuarius pacisceretur, ut peteret: beneficio pacti, quod servus interposuisset, utiliter ad petitionem admittetur.

56. IDEM, lib. 6, ad Minucium.

Si convenerit, ne dominus a colono quid peteret, et justa causa conventionis fuerit: nihilominus colonus a domino petere potest.

— 63. L. 26, sup. h. t. — 66. Vide tamen L. 17, in pr. sup. h. t. L. 11, inf. de religiosis. L. 9, C. de noni numerata pecun. — 67. L. 12, inf. soluto matrim. L. 16, 17, 18, inf. de re iudicata. L. 28, inf. de reg. jur. — 68. L. 31, in fin. inf. de evict. — 69. L. 17, inf. de iure edicti. — 70. L. 34, in fin. C. de transact. L. 3, C. de inutil. stipul. L. 61, inf. de verb. oblig. L. 13, L. 14, C. de probat. — 71. d. L. 15, C. de probat. et L. 1, inf. de her. edict. — 72. L. 37, in fin. inf. de acquir. vel omitt. hered. L. 143, inf. de res. jur. — 73. L. 26, § 4, inf. de verb. oblig. § 3, Inst. eod. — 74. L. 19, § 6, in fin. inf. locati conducti. L. 4, § 5, inf. de manumis. — 75. L. 88, inf. de reg. jur. — 76. L. 40, vers. sed cum ortia. inf. de reb. cred. — 77. L. 63, inf. de solutio. — 78. L. 155, inf. de reg. jur. — 79. Inno. rite L. 5, in pr. inf. de rescind. vendit. L. ult. inf. de acceptil.